

(1) *Extant horum litteræ, & Nicolai IV. par. 1. doc. 248. 249. Col. 258.*

MCCXC. Die decimoquinto mensis novembris Ascherius Archidiaconus Alexandrinus sede Episcopali vacante Monialibus Divæ Mariæ Pozzoli quadraginta dies indulgentiæ concedit. Eodem anno die VIII. septembris Gullielmus Marchio Montisferrati cum vellet, conspiratione Alexandrina audita, quam secreto apud Montem magnum tentasse dicebat, cum Astensibus Alexandriam ingredi, vi capitur per Alexandrinos in prælio apud Castelletum, & vinctus ducitur, inibique in palatium Frascariorum familiæ diligenter custodiunt. Die lunæ sequenti eundem in caveam ligneam compedibus inclusum recludunt per annum, & menses quinque, & dies sexdecim in Palatium vetus dictum; quandoquidem fama erat Civitatem velle in totum delere, ac solo æquare, aratroque subicere. Eodem anno Alexandrini S. Salvatorem, & Viarissium ditionis Montisferrati vi capiunt. Eodem anno die XXII. mensis septembris Mediolanenses, Alexandrinos, & Derthonenses in fœdus recipiunt; ita quod tuto Mediolanum accedere, & recedere possent, maxima indicta pœna illis, qui his officere tentassent. Non enim suo consilio, & voluntate arma cepisse Alexandrinos, & Derthonenses superioribus annis videbant, sed fecisse id compulsos a Marchionibus Montisferrati. Eodem quoque anno Respublica Alexandrina, unacum Placentina, Cremonensi, Genuensi, Derthonensi, Novariensi, Vercellensi, atque aliis multis per legatos cum Mathæo Vicecomite fœdus adversus Turrianos, & Montisferrati Marchionem iniverunt. Quo etiam anno Ubertus ab Alice Guasus fit Prætor Mediolani, & ipso anno Nicolinus Merulanus jam triennio magister populi Alexandrini fuit. Hoc eodem anno Otho Vicecomes Archiepiscopus Mediolani donavit Pontem Tanari Alexandrinis.

MCCXCI. Janottus Turris Mediolanensis Prætor Alexandriæ, & tunc multæ civitates Lombardiæ, videlicet Pavia, Parma, Brixia, Bergamum, Placentia, Laus Pompea, Regium, Cremona, Vercellæ, Alexandria, Novaria, Derthona, Taurinum, Genua, Savona, Albingaunum, Alba, Eporedia fœdus percutiunt adversus Turrianos, Papienses, Baggennamque obsident, quam Turriani tenebant. Alexandrina Respublica Conzanum, Septebrium, Casinas, Civitatem Aquensem, Carpanetum, Montem Castellum, & Pavonum, quæ omnia occupaverat Montisferrati Marchio, recuperat.

MCCXCII. Die decimo januarii Otho Vicecomes Archiepiscopus indulgentias concessit causa exornandi templum majus civitatis Alexandriæ. Eodem quoque anno, die decimo mensis julii incolæ Rocchæ Urbæ, & eorum nomine Bugerius Bugerii, & Petrus Pugnus cum manu incolentium in frequenti consilio, & antianorum præsentia, ac Antonii Manerii, cives Alexandriæ effecti, ac sub imperio Prætoris, & Civitatis manere, & eam fortunam subire, quam Alexandrini, promiserunt; qui propterea polliciti sunt territorium suum defendere, & ea de causa memorati incolæ libras denas Astenses singulatim persolvere præceperunt (1). Sunt qui velint

hoc eodem anno die sexto mensis februarii ab humanis concessisse Gullielmum Marchionem Montisferrati, Alexandriæ captivum, ac in Monasterio Locedii apud Casale S. Evassii humatum; quapropter omnes Civitates ei subditæ in libertatem se vindicarunt, exceptis patrimonialibus. Eodem anno Prætor, quo supra, die Veneris primo mensis februarii Ticinenses milites, alique, qui in hibernis Augustæ Bagiennorum erant una cum peditibus, qui Peceti, & Pavoni moram trahebant, profligati, captique apud Salarum oppidum fuerunt, gensque Bellingeria eo in bello interfecta. Eodem anno Alexandrini recuperarunt Viarissium, Altamvillam, Frasinum, & Altam Turrin, quæ alias fuerunt ditionis Alexandriæ.

(1) In MS. receperunt melius promiserunt. *Extant fœderis tabulæ par. 1. doc. 251. Col. 259.*

MCCXCIII. Mathæus Vicecomes creatur Capitaneus civitatis Alexandriæ in proximum quinquennium, quem eundem postea nonnullæ aliæ in Capitaneum adsciscunt, ut Novaria, Vercellæ, Novum Comum. Eodem anno Johannes, qui in demortui patris locum Montisferrati imperium obtinuit, complura Castella, & vicos ab Alexandrinis, Vercellensibus, & Astensibus occupata in potestatem suam redigere nititur.

MCCXCIV. Johannes Marchio Montisferrati eademmet voluntate ductus Alexandrinis officendi, qua pater, & ejus antecessores, diversa prælia cum ipsis gessit, multæque inter ipsum, & Civitatem discordiarum semina extiterunt.

MCCXCV. Die septimo mensis julii (1) Capitulum Ecclesiæ majoris civitatis Alexandriæ ad instantiam Parochianorum Quarterii Bergolii concessit fratribus sanctæ Mariæ Servorum ad habitandum, & commorandum Ecclesiam sancti Stephani una cum prædiis, ac redditibus ad dictam Ecclesiam pertinentibus, certis conditionibus injectis, & præsertim, ut quotannis assistere debeant eorum divinis officiis in die Sabbati sancti, Sabbati Pentecostes, in festo sancti Petri, ac in vigiliis dictarum festivitatum omni anno. Eodem anno die duodecimo mensis augusti Robertus Rex Siciliæ accessit Alexandriam, & eandem domuit.

(1) *Extat par. 1. doc. 256. Col. 265.*

MCCXCVI. Antianorum mentio fit in libro Crucis, dum in eodem dicitur in præsentia Dominorum Jacobi Secundi, & Nicolai Arnutii antianorum populi. Eodem anno propter civiles discordias, & seditiones, valde commota est, & maximo sui detrimento, civitas Alexandriæ.

MCCXCVII. Indictione nona Templum majus Civitatis per Magistrum Ruffinum Bottinum Casalensem, ut legitur in inscriptione fornicis (1) perficitur.

(1) *Inscriptione Fornicem ita in MS.*

MCCC. Mense februario Albertus Scotus Placentinus Confœderatorum totius (1) fere Lombardiæ Legatus, cum Mediolani, Bergomi, Alexandriæ, Ticini, Vercellarum, Derthonæ, Cremonæ, & aliarum Civitatum fœdere conjunctarum Legatos acciri jussisset, omnes in eam sententiam concurrerunt, ut Confœderatorum nomine, & expensis, quo ar-